SMITHSONIAN
LIBRARY


1902
USNM
EX LIBRIS
William Healey Dall
Division of Mollusks
Sectional Library

QL
426
J3D919
Moll.

Dunker, Wilhelm Bernhard Rudolph Hadrian, 1809-1885.

MOLLUSCA JAPONICA

DESCRIPTA ET TABULIS TRIBUS ICONUM

ILLUSTRATA

SMITHSONIAN LIBRARIES
Division of Mollusks Sectional Library
DR BROT
Division o
Sectional

A

GUILIELMO DUNKER,

PHIL. DRE., MINERALOGIAE ET GEOLOGIAE IN UNIVERSITATE LITERARUM MARBURGENSI P. P. O., INSTITUTI MINERALOGICI ACADEMICI NEC NON GEOLOGICI HASSIACI DIRECTORE PLURIUMQUE SOCIET. LITER. SODALI.

STUTTGARTIAE.

TYPIS ET SUMTIBUS E. SCHWEIZERBART.

1861.

In contemplatione naturae nihil potest videri supervacaneum. PLIN.

SMITHSONIAN LIBRARIES

NOTICE

R CAREFUL EXAMINATION OF THE
R MARGIN AND TYPE OF MATERIAL
AVE SEWN THIS VOLUME BY HAND
CAN BE MORE EASILY OPENED
READ.

In contemplatione naturae nihil potest videri supervacaneum. PLIN.

SMITHSONIAN LIBRARIES

PROOEMIUM.

Offero Tibi, lector benevole, indicem parvum Molluscorum Japonicorum, quae jam ante aliquot tempus clarissimus H. G. BRONN Heidelbergensis amicissimus ad me misit, ut singulas species determinarem et acrius perscrutarer. Species omnes illas, quae mihi neque cognitae neque descriptae esse videbantur, in commentariis conchyliologicis a clar. MENKE et PFEIFFER editis jam breviter adumbravi. Ornat. NUHN, medicus navalis, illa Mollusca in portu Decimae collegit.

Valde doleo nunc demum, cum absolutus sit index meus, me vidisse diagnoses Molluscorum Japonicorum, quas clar. A. ADAMS in „Annals and Magazine of Natural History“ anno exacto promulgavit. Fortasse species quaedam Adamsianae meis respondent; nihilo tamen minus spero fore ut accurata descriptio earum iconibus illustrata haud superflua sit.

Quod attinet ad icones praemittendum mihi est pictorem, ut colorem album exprimeret, plumbum carbonicum adhibuisse. Quod valde doleo, quum color ille, id quod inter omnes constat, sensim mutetur, quo factum est, ut ex. gr. Turbonilla terebra et cingulata nec non utraque Scalariae species obscuriores appareant.

In fine libelli omnes Molluscorum species Japonicas, quae mihi cognitae sunt annotavi, ut indoles Faunae maris Japonici, quamvis ad hunc diem admodum incompleta sit, clarius perspiciatur. Pariter omnium quae huc usque descripta sunt Molluscorum terrestrium et aquarum dulcium nomina recepi. Ex omnibus patet Faunam Molluscorum Japonicam intime conjunctam esse cum Fauna Sinensi.

Amicissimo FERDINANDO KRAUSS maximas ago gratias pro cura custodiaque in figuris delineandis.

Vale mihique fave, lector benevole! Spero fore ut libellus Tibi non minus satisfaciat quam index meus Molluscorum Guineensium viris doctis haud ingratus fuit.

Dabam Marburgi Cattorum die X mensis Maji MDCCCLXI.

Guil. Dunker.

GASTROPODA.

1. STROMBUS VITTATUS L. varr.

Haec species mirum in modum variat. Duo varietates primariae notandae sunt, altera fortiter plicata et valde elongata, ita ut spira anfractu ultimo longior sit (Strombus turritus Sow.), altera brevior anfractibus superioribus basique exceptis laevissima. — Duo quae exstant exemplaria Japonica minime congruunt; alterum vivide coloratum spira plicosa angulata, alterum, quod expalluit, anfractibus convexis insigne est. Non dubitamus Strombum Japonicum Reevei (Conch. icon. no. 42) ad hanc ipsam speciem pertinere; nobis saltem nondum contigit notas constantes inter omnes hasce formas invenire.

2. STROMBUS SUCCINCTUS L. var.

Quatuor exstant specimina plane congruentia, sed ab aliis formis hujus speciei maxime variabilis valde abhorrentia. Sunt enim multo latiora eorumque ala in canalem longiorem producta est, quod in aliis speciminibus non observatur. Cum vero in Stromborum genere multae in una eademque specie varitates saepissime occurrant, hanc formam Japonicam pro specie genuina non habendam esse putamus.

Cum Strombo antecedente ad Gallinulas Kleinii pertinet.

3. PLEUROTOMA INTERRUPTA Lam. var.

Specimen unicum allatum est cochleae, quam pro varietate Pleurotomae interruptae Lamarckii habemus, quamvis a figuris 1 *a b* in Encycl. méth., Kieneri Icon. des Coq. viv. Tab. XII, fig. 2 et Reevei fig. 51 paullo discedat. Testa enim angustior colore obscuriore fusco insignis est. Costae longitudinales subobliquae lineisque elevatis transversis aeque distantibus decussatae in anfractu ultimo duodecim numerantur. Apertura angusta tertiam circiter testae partem aequat. Sutura linea pallida paene albida signata est.

Pleurotoma interrupta ad rariora Mollusca pertinere videtur, cum in collectionibus Molluscorum haud frequenter occurrat.

4. PLEUROTOMA OCTANGULATA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 18 magn. aucta.

Testa ovato-oblonga, subfusiformis, albida, cingula fusca interrupta ornata, per longitudinem crasse costata transversimque substriata; anfractus superne angulati; apertura angusta, spiram acquans; labrum crassum obtusiusculum; rostrum brevissimum.

Pleurotoma octangulata Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 234.

Magnitudine variare videtur cochleola nostra; maximum utriusque quod exstat speciminis altitudinem 10 mill. fere attingit, ejusque latitudo 4 mill. aequat. Testa solida alba, fascia fusca interrupta in medio

anfractu ultimo picta, anfractus sex superne angulati, sutura distincta divisi, per longitudinem crasse costati transversimque striati; costae laeves in anfractu ultimo octo numerantur; spira acuta conica anfractibus angulatis subgradata; columella subrecta plicis tribus obsoletis notata.

Cochleolam nullibi descriptam aut depictam invenimus; similitudinem quandam offert cum Pleurotoma Grayi Reeve (Conch. icon. sp. 232). Forma inter Mangilias et Defrancias intermedia, columella subplicata insignis.

5. DEFRANCIA TEXTA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 19, magn. aucta.

Testa parva, ovato-turrita, pallide flava, costulis longitudinalibus et transversis reticulata; anfractus convexi, sutura profunda disjuncti, ultimus basi fascia fusca signatus; apertura paullo coarctata; labrum incrassatum, intus sulcatum; sinus latus.

Defrancia texta Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 225.

Testa gracilis et tenuis costulis longitudinalibus subobliquis lineisque transversis elevatis exquisite clathrata, spiram Turritellae cujusdam parvulae refert. Labrum incrassatum, productum, in medio emarginatum, striis transversis excurrentibus costatum est; sinus latus paullo resupinatus. Columella et labrum fusco maculati. Longit. speciminis unici 8 mill. ejusque latit. $2^3/_4$.

Pleurotoma canaliculata Reeve (Conch. icon. sp. 348) certe peraffinis nostrae speciei, peristomatis conformatione differt.

6. MANGILIA LEUCKARTI Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 1 magn. aucta.

Testa ovato-acuta, fusca, anfractibus senis vel septenis convexiusculis, per longitudinem crasse plicatis transversimque costulatis instructa, anfractus ultimus basin versus canaliculatus; apertura angusta, dimidio longitudinis testae paullo brevior; canalis brevis rectus.

Mangilia Leuckarti Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 228.

Duo exemplaria exstant, alterum detritum.

Testa parvula modo 7 mill. longa, $2^1/_2$ lata, unicolor fusca, crassiuscula. Superficies plicis longitudinalibus, in anfractu ultimo undecim, costulisque transversis seu lineis elevatis aeque distantibus exquisite clathrata. Rostrum breve rectum superne canaliculo notatum est. Costae longitudinales in canali quoque observantur. Labrum in specimine adulto incrassatum.

Species Rudolfho Leuckart dicata, habitu Pleurotomae Aegeensi Forb. similis, at satis diversa.

7. MANGILIA PYGMAEA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 8 magn. aucta.

Testa minima, oblonga, subfusiformis, pallide fusca, anfractibus senis plicisque longitudinalibus obsoletis rostrum versus evanescentibus instructa; apertura oblonga; anfractus ultimus dimidiam totius testae partem adaequans.

Mangilia pygmaea Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 228.

Testa modo 6 mill. alta, vix 2 lata, plicis longitudinalibus obsoletis rostrum versus evanescentibus insignis, cum nulla, quae nunc innotuit Mangiliarum specie jungenda est. Duo specimina exstant, alterum fascia obscuriore in anfractu ultimo cinctum.

8. MANGILIA COSTULATA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 20 magn. aucta.

Testa parvula oblongo-fusiformis, laevigata, alba, lineis rufis transversis subtilibus picta; anfractus convexiusculi per longitudinem costati, transversim obsoleteque striati, sutura distincta divisi; apertura oblonga spira brevior; labrum incrassatum et marginatum; rostrum brevissimum.

Mangelia costulata Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 227.

Species elegans atque gracilis 8 mill. longa, circa $2\frac{1}{2}$ lata, glabriuscula, oblongo-fusiformis, alba lineolis transversis fuscis ornata. Costae longitudinales a sutura inde incipientes laevigatae sunt, in anfractu ultimo, dimidiam totius testae partem occupans, si a tergo inspicitur cochleola, observari possunt.

Habitu Pleurotomae coerulanti Phil. (Enum. Moll. vol. II, pag. 168, Tab. XXVI, fig. 4) haud dissimilis, statura graciliore, spira longiore atque picturae indole differt.

9. MANGILIA DESHAYESII Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 3 magn. aucta.

Testa oblonga, subfusiformis, albido-flavida; anfractus superne subangulati, costulis longitudinalibus striisque elevatis transversis exasperata; apertura oblonga; labrum incrassatum, lineis transversis obductum, macula fusca notatum.

Mangilia (Pleurotoma) Deshayesii Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 228.

Testa unica exstat 7 mill. alta et 3 lata, optime conservata. Anfractus ultimus dimidiam testae altitudinem aequans, costis 13 longitudinalibus instructus est. Habitu Mangiliae Vauquelini (Pleur.) Payr. simillima est nostra cochleola, sed differt sculptura aspera costulisque longitudinalibus confertis.

10. FUSUS CREBRILIRATUS Reeve.

Conch. icon. sp 20.

Descriptio Reeveana plane quadrat in exemplaria nostra, sed icon aliquantum differt, ita ut aliqua dubitatio remaneat. Teste Reeve haec species e Nova Hollandia originem ducit, specimina nostrae collectionis ex Indiis accepimus.

11. FUSUS VIRIDULUS Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 16.

Testa solida fusiformis, viridescenti coerulea, lineis undulatis fuscis longitudinalibus picta; anfractus parum convexi, superne paullo curvati; spira acuta; rostrum brevissimum; apertura ovata spira aliquantulum brevior; labrum simplex intus costatum; fauces fusco-purpureae.

Exemplar unicum exstat optime conservatum.

Testa 28 mill. alta, 12 lata, solida, striis incrementi longitudinalibus tenuissimis labrum versus crassioribus instructa, epidermide tenui cornea induta. Anfractus septem aequaliter fornicati, infra suturam perparum sinuati, ultimus basin versus costatus. Apertura subovata; labrum simplex, intus costis duodecim aeque distantibus instructum; rostrum brevissimum paene rectum; columella aequaliter sinuata. — Operculum striatum sublamellosum ut in Fuso lignario Lam.

Haec species ad Euthriam pertinet, genus Gastropodum Grayanum anno 1850 in Fusum lignarium fundatum. Affines sunt hae cochleae: Fusus corneus (Murex) L., Buccinum antarcticum, dirum, cingulatum, ferreum, lineatum Reevei aliaeque (cfr. genus Buccinorum in Conch. iconica). At vero dolendum est, multa Gastropodum genera certis finibus minime determinata esse.

12. TURBINELLA RHODOSTOMA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 21.

Testa lanceolato-fusiformis, septangula, fulva, costis septenis longitudinalibus crassis in anfractu ultimo instructa lineisque elevatis albidis subaequalibus cincta; columella plicis duabus obsoletis signata; labrum intus laevigatum neque striatum; fauces roseae.

Turbinella rhodostoma Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 238.

Specimen unicum 23 mill. longum est.

Haec cochlea concinna et Turbinellam nodatam (Bucc.) Mart. et T. lanceolatam Reevei in mentem vocans, ab hac praesertim lineis elevatis transversis, ab illa vero statura multo minore et anfractibus costatis neque nodosis valde discedit.

13. TURBINELLAE CUJUSDAM PULLUS.

14. PYRULA TUBA (MUREX) Gmel.

Lam. anim. s. vert. ed. II, vol. IX, pag. 507. — Fusus tuba Enc. méth.

Exemplar grande exstat quale in Reevei Conch. icon. fig. 22 depictum est.

Maris Sinensis incola frequens ad Hemifusos Swainsoni pertinet.

15. PYRULA BEZOAR (BUCCINUM) L. var.

Lam. vol. IX, pag. 514 = Purpura bezoar Kien., Murex rapiformis var. β Born.

Cochlea mirum in modum variabilis. Forma typica omnino squamosa invenitur. Hanc nostram varietatem Japonicam optime figuravit clar. Reeve in Conch. iconica no. 15a. Colore vivido cingulisque angustis castaneis plus minusve articulatis discernitur. Magnitudine eximia interdum occurrit.

16. MUREX RORIFLUUS Adams et Reeve.

Testa subfusiformis, nigricante castanea, crusta roscida vestita; anfractus transversim obsoleteque lirati et rugosi, quadrivaricosi, varices rudes, albi, sublamellosi, parum erecti, inferne denticulati; canalis clausus.

Adams et Reeve Voy. Samarang. Zool. pag. 38, Tab. VIII, fig. 2 *a b*. Korea, Belger.

Exemplar unicum bene conservatum, 40 mill. longum exstat.

Haec species peculiaris crusta cinerascente quasi roscida insignis est.

17. MUREX JAPONICUS Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 14.

Testa ovata, crassa, pallide spadicea, anfractibus superne angulatis, nodosis, transversim costatis et sulcatis, ultimo $^7/_{10}$ totius cochleae aequante, costisque 4 majoribus in labrum lamellosum latum et expansum exeuntibus instructa; rostrum breve paullo curvum; canalis obtectus; umbilicus anguste pervius; apertura ovalis et alba. — Specimen unicum exstat, 47 mill. longum.

Murex Japonicus Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 230.

Cochlea varicibus prorsus deficientibus insignis, habitum Tritoniorum quorundam (sensu Lamarckiano) prae se fert ex. gr. Tritonii femoralis junioris. Costae majores, quas in anfractu ultimo conspicis, lamellis erectis subimbricatis paullo resupinatis terminantur.

18. MUREX CALCARIUS Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 2.

Testa parva, solida, subfusiformis, alba, calcaria, sexfariam costata transversimque striata; canalis brevis apertus; labrum intus sulcatum.

Murex calcarius Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 230.

Testa 21 mill. alta, 13 lata, subventrosa, paene biconica; anfractus sex crasse costati transversim tenuiterque striati, ultimus varicibus senis instructus, striae praesertim inter varices perspicuae, labrum versus subimbricatae; apertura ovata; columella parum sinuata fere recta; canalis brevis; rostrum parum recurvum. Tota testa alba et cretacea apicem versus lutea.

Quamvis haec cochlea habitum prae se ferat pervulgatum quasi vilem, tamen nullibi eam descriptam aut figuratam invenimus. Murici nuceo Mörchi, planilirato Reevei etc. affinis, subgeneri Ocenebrarum Leachii adnumeranda est.

19. PURPURA LUTEOSTOMA (BUCCINUM) Chemn.

Haec species aetate juvenili interdum nodulos ostendit in labro interiore.

Plura collectionis nostrae specimina e sinu Mexicano et ex Antillarum insulis accepimus. Mare Sinense Chemn.

20. PURPURA ECHINATA Blainv.

Blainv. Nouv. Ann. du Mus. Tab. II, fig. 2!

Specimen unicum exstat optime conservatum epidermide tenui passim obductum.

21. PURPURA BRONNI Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 23.

Testa solida, oblongo-ovata, paene biconica, luteo-albida, maculis cinereo-fuscis variegata, cingulis prominentibus quatuor rugoso-tuberosis striisque transversis densis strias incrementi longitudinales subimbricatas decussantibus instructa; apertura ovalis; columella planiuscula; labrum intus laevigatum; fauces luteae. — Specimen quod exstat maximum 45 mill. longum est.

Purpura Bronni Dkr. in malakoz. Bl. vol. II, pag. 235.

Differt species nostra a Buccino luteostoma Chemnitzii (C. C. vol. XI, fig. 1800, 1801) cui peraffinis est, inprimis striis incrementi subimbricatis, labro intus omnino laevigato haud sulcato nec non cingulo ultimo tuberibus paene carente.

22. PURPURA TUMULOSA Reeve.

Reeve Conch. icon. spec. 55.

Specimina tantum exstant nondum adulta. (Zanzibar Reeve.)

23. PURPURA (RICINULA) FISCELLA Chemn.

Murex fiscellum (melius fiscella) Chemn. C. C. vol. X, Tab. 160, figg. 1524, 1525. China.

Duo exemplaria juniora allata sunt.

24. COLUMBELLA SCRIPTA Lam.

Kien. Coq. viv. Tab. 6, fig. 3. — Col. variegata Mke. Synops. pag. 65. — Col. versicolor Sow. Thes. Conch. Tab. 37, figg. 41—46.

Multa specimina allata sunt. Species pictura sua liturata insignis. — Frequentissima et in Philippinis insulis occurrit.

25. COLUMBELLA UNDATA Duclos.

Monogr. Tab. 4, figg. 3 et 4. — Kien. Coq. viv. Tab. 9, fig. 1.

Tria specimina hujus speciei exstant minora, lineolis undulatis vivide rufis varie picta.

16. COLUMBELLA PUMILA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 4 magn. paullum aucta.

Testa minima elongata, utrinque attenuata unicolor fusca; anfractus sex per longitudinem costati, ultimus spira paullo longior, semicostatus, ad basin liratus; columella sinuata; labrum subincrassatum, intus plicatum vel subdenticulatum; apertura angusta. — Long. 4 mill. lat. vix 2 mill.

Columbella pumila Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 224.

Plura specimina exstant forma, sculptura et colore plane congruentia. In iis quae non detrita sunt speciminibus costulae anfractus ultimi basin versus sensim evanescentes ad suturam subnodulosae apparent. Rostrum vel anterior pars testae, quae vulgo ejus basis dicitur, exquisite sulcatum est.

Haec Columbellarum species, Columbellae exili Phil. e mari Erythraeo affinis, certe minimarum una, quae in conspectum veniat, formam plane refert Mitrarum quarundam, ita ut facile commutari possit cum hoc genere nisi forte acrius inspiciatur.

27. AMYCLA VARIANS Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 17 magn. aucta.

Testa parva, ovato-conica, apice acuta, laevigata, ad basin sulcata, varie picta; anfractus convexiusculi, ultimus spira paullulum major; columella laevis sinuata; labrum incrassatum dentatum.

Amycla varians Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 231.

Multa specimina exstant magnitudine et colore mirum in modum variantia; minimum vix 7 mill. longum est, maximum circa 12. Testa laevissima est basi excepta. Color pervariabilis; modo in fundo roseo vel aurantio vel albo lineolis fuscis reticulatis et undulatis varie picta est cochleola, modo fascia alba vel macularum serie in anfractu ultimo ornata. In nonnullis speciminibus apex apparet violaceus; unicum exstat fascia lata vivide fusca, alterum fasciis tribus angustis cinctum. Apertura pallide violacea est vel alba, labrum, ut solet incrassatum, intus plicis 7—8 instructum. Columella laevigata in speciminibus nonnullis inferius subdenticulata.

Haec species ad genus Amycla pertinens, quod H. et A. Adams fratres creaverunt (Gen. of rec. Moll. vol. I, pag. 186), Buccino corniculo Olivi (fasciolato Lam.) affinis est. Animalcula hujus divisionis ad Columbellas accedunt, sed eorum testae habitum Nassarum quarundam referunt.

28. NASSA GLOBOSA (BUCCINUM) Quoy et Gaimard.

Voy. de l'Astr. Zool. vol. II, pag. 448, Tab. 32, figg. 25—27 = Bucc. clathratum Kien. (non B. clathratum Born, quod est species telluris tertiariae fossilis, neque Nassa clathrata Encycl.).

Varietas reportata est testa minus globosa haud gibbosa, costis crassioribus striisque transversis minoribus signata.

Specimina collectionis nostrae e China originem ducunt.

29. NASSA LIVESCENS (BUCCINUM) Phil.

Zeitschr. f. Mal. 1848, pag. 135.

Tria specimina exstant.

Haec cochlea cum Bucc. marginulato comparatur a clar. Philippi, sed pro nostra opinione Nassae crenulatae magis analoga est.

Mare Sinense, litus Javanum etc.

30. NASSA FRATERCULUS Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 15 magn. aucta.

Testa oblonga, subturrita, per longitudinem costulata, transversim leviterque sulcata; anfractus rotundati sutura profunda separati; apertura subrotunda; labrum incrassatum varicosum, maculis fuscis signatum intus dentatum; columella superius uniplicata.

Nassa fraterculus Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 230.

Cochleola 9—10 mill. longa, 5—6 lata. Labrum incrassatum denticulis 6—8 munitum est; columella laevigata haud granosa superne plica unica obsoleta signata; color varians; testa modo aurantia, modo citrina fascia una vel duabus fuscis interruptis vel continuis cincta; labrum incrassatum maculis tribus plus minusve lucidis notatum.

Species Buccino incrassato Ström, quod in mari Mediterraneo nec non in Germanico frequentissime occurrit, his inprimis differt notis: 1° statura minore graciliore, 2° testa minus aspera, 3° sulcis exiguis paucioribus, 4° columella laevi haud granosa.

31. NASSA LIRATA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 22 magn. paullum aucta.

Testa ovata, subturrita, crassa, flavida et viridescens, lineis transversis nigro-fuscis cincta, plicis nodosis longitudinalibus instructa; anfractus convexi sutura profunda divisi, ultimus dimidiam testam occupans; apertura ovato-rotundata; labrum incrassatum varicosum album, intus dentatum; columella superne uniplicata, inferne callosa, rugosa.

Nassa lirata Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 231.

Tria tantum specimina lecta sunt variae aetatis; maximum 14 mill. altum, 9 latum; minimum paene unicolorum flavum.

Anfractus 6—7 convexi per longitudinem nodoso-plicati sunt, plicae in quovi ambitu 9 numerantur; sulci transversi 7 lineis atrofuscis signati sunt, labium et labrum colore albo.

Species nostra elegantissima Nassae festivae Powisii ex isthmo Panamensi (Reeve Conch. icon. sp. 117) peraffinis, corpore multo minore et faucibus minime liratis satis superque differe videtur.

32. CANTHARUS MENKEANUS Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 7.

Testa ovato-acuta subfusiformis, fusco striata, zona alba notata, per longitudinem costata transversimque striata; labrum intus costatum, superne uniplicatum; columella sinuata; canalis brevis; fauces luteae.

Cantharus (Pollia) Menkeanus Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 222.

Testa circa 13 mill. alta, 7 lata, brevis quasi biconica. Anfractus convexiusculi infra suturam planam appressi, ultimus costis longitudinalibus undecim, striis sulcisque transversis instructus. Apertura

elongata, columella superne sinuata uniplicata, inferne torta; labrum incrassatum dentibus vel potius plicis senis in apertura interiore evanescentibus munitum, superioribus validis; canalis brevis satis latus. Color costarum longitudinalium fuscus, anfractus ultimus fascia alba mediana pictus.

Haec species concinna atque elegans Buccino d'Orbignyi Payr. inter omnes quae hodie innotescunt species simillima, his imprimis notis differt: statura minore, spira et canali brevioribus, anfractibus infra suturam appressis, sculptura minus aspera. — Cum Tritonideis Swainsoni jungenda est.

33. EBURNA JAPONICA Reeve.

Proc. Zool. Soc. 1842, pag. 20. — Conch. icon. sp. 3.

Duo specimina exstant, alterum fere integrum epidermide cornea, quae corio tenui similis est, vestitum, circa 70 mill. longum, alterum epidermide orbatum. Differt ab Eburna Ceylonica (Bucc.) Brug. anfractibus tumidis aequaliter convexis, sutura profunda divisis, umbilico non dentato, apice albido maculisque minoribus in quincuncem ordinatis.

34. MITRA AMPHORELLA Lam.

Anim. s. vert. vol. VII, pag. 316.

Unicum specimen adest fuscum zona alba suturali cinctum. Quamvis nimis detritum sit, tamen recte determinatum esse credo.

35. MITRA CRUENTATA (VOLUTA) Chemn.

C. C. vol. X, pag. 171, Tab. 151, figg. 1438, 1439 = M. harpaeformis Lam.

Specimina varietatis minoris bifasciatae exstant valde detrita. Clar. Reeve in icone no. 126 hanc varietatem bifasciatam bene expressit, quamvis in descriptione hujus varietatis mentionem non faciat.

36. MITRA KRAUSSII Dkr.

Testa elongato-ovata, fusca vel cinereo fusca, fascia unica alba cincta, in longitudinem costulata; spira exserta; anfractus modice convexi, sutura satis profunda sejuncti, ultimus spira paullo longior; columella quadriplicata flavida; labrum intus costatum. — Longit. speciminis maximi 14 mill. ejusque latit. 6.

Exemplaria plura exstant ex parte detrita et decolorata. Interstitia costarum foveolis transversis signata sunt. Costae in anfractu ultimo 14—16 numerantur. Inter species permultas, quae nunc cognitae sunt, ne unam quidem inveni nostrae plane respondentem. A Mitra glandiformi Reevei (Conch. icon. sp. 310) praesertim forma multo angustiore et labro intus costato differt. Species nostra ad Pusias Swainsoni pertinens, Ferdinando Krauss, Molluscorum Capensium intelligenti aestimatori dicata est.

37. MITRA BRONNI Dkr.

Testa fusiformis, spadicea, fascia lata alba cincta, per longitudinem crebricostata; costae laeves; interstitia costarum transversim striata; basis lirata; apertura angusta; columella quadriplicata.

Mitra Bronni Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 229.

Duo specimina exstant, majus 20 mill. longum, 7 latum; alterum punctulis fuscis in zona alba locum tenentibus insigne est. Rostrum paullo productum curvatum est. Species praecedenti similis, habitu majore et rostro curvato praesertim discrepat.

38. ANCILLA (ANCILLARIA) RUBIGINOSA Swains.

Unum exemplar exstat pulcherrimum, 63 mill. longum, 28 latum, quod huc pertinere videtur. Specimen a Kienero (Coq. viv. Tab. II, fig. 2) figuratum valde differt a nostro testa angustiore, spira longiore, apertura breviore. Sane doleo me descriptionem et iconem Swainsoni veram Ancillam rubiginosam exhibentes comparare haud potuisse.

39. CYPRAEA VITELLUS L.

L. Syst. Nat. edit. XII, pag. 1176.

Specimen unicum exstat staturae modicae, vivide tinctum.

40. CYPRAEA FIMBRIATA Gmel.

Reeve Conch. icon. sp. 92.

Multa specimina exstant valde detrita livida vel subviolacea. Figurae 263 et 264, e Martinii operis conchologici vol. I a Gmelino in Linnaei Systematis Naturae editione XIII, pag. 3420 citatae, melius quadrare videntur in Cypraeam microdontem Gray (Sow. Conch. illustr. fig. 3); sed difficile est in hac re pro certo dijudicare, cum icones Martinianae sint nimis rudes.

41. ERATO CALLOSA Adams et Reeve

Zool. of the Voyage of H. M. S. Samarang Moll. pag. 25, Tab. X, fig. 32 a b.

»Testa pyriformi, crassa, tumida, callosa, spira breviuscula, subobtusa, columella excavata, labro conspicue denticulato; carnea, subtus albicante«. — China.

Specimina nostra icone supra citata paullo minora sunt.

42. MARGINELLAE

species quaedam minima valde detrita et erosa haud determinanda.

43. TURRITELLA DUPLICATA L.

Plura specimina paullo variantia exstant.

44. CERITHIUM HUMILE Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 17.

Testa ovato-turrita solida, fusco-nigra, albo variegata, granosa transversimque lirata; anfractus convexi, ultimus granorum seriebus senis, infimis paullo minoribus, cinctus, anfractus superiores triseriati; apertura ovata lactea; labrum subincrassatum intus sulcatum; canalis brevissimus obliquus.

Specimina pleraque omnia detrita exstant. Duo varietates, quae in collectione nostra asservantur sine indicatione patriae, certe huc pertinent. Granis nonnullis alboflavis signata sunt.

Species Cerithio rugoso Wood affinis, sed multo minor longitudinem 18 mill. vix attingit.

45. CERITHIUM SUBRETICULATUM Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 10 magn. aucta.

Testa turrita fusca, anfractibus 11—12 triseriatim granosis instructa; sutura satis distincta; basis laevigata, concava, a carinula tenui circumdata; apertura subrotunda; canalis brevis subrectus.

Cerithium (Cerithiopsis?) subreticulatum Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 224.

Cochlea pusilla vix 6 mill. longa, 1½ lata est. Statura ejus eadem ac in genere Triforum, sed dextrorsa. Granula sese tangentes testam subreticulatam reddunt. Granorum series intermedia paullulum elevata est. Carinula basalis e sutura profunda excurrit. — Fortasse ad Cerithiopsin Forb. et Hanl. pertinet cochleola nostra.

46. TRIFORIS VIOLACEA (CERITHIUM) Quoy et Gaim.

Voy. de l'Astr. vol. III, pag. 134, Tab. 55, figg. 22 et 23. Australia, Nova Irlandia.

Duo specimina detrita exstant. Genus a clar. Deshayes a Cerithiis sejunctum. — Male scribitur Triphoris.

47. TRIFORIS FUSCA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 22 magn. aucta.

Testa solidula, fusca, gracilis, in medio perparum ventrosa; anfractus 12—14 sutura distincta sejuncti, triseriatim granosi, series intermedia angustior obsoleta; granula conferta ex parte confluentia.

Triforis fusca Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 237.

Testa 10—11 mill. longa, 2 lata, unicolor fusca forma sua haud variabilis est, ut specimina multa docent.

48. TRIFORIS GRANULATA Adams et Reeve.

Voy. Samar. pag. 46, Tab. XI, fig. 33 a b.

Duo tantummodo specimina exstant. Descriptio et icones supra laudatae plane quadrant in nostra exemplaria excepto colore, qui in iis fuscus est. Granula paullo pallidiora sunt.

49. TRIFORIS EXILIS Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 9 magn. aucta.

Testa turrita fusca, linea pallidiore cincta, anfractibus 10—11 triseriatim granosis instructa, sutura angusta haud profunda.

Triforis exilis Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 237.

Testa vix 5 mill. alta a Trifori granulata statura paullo minore, sculptura subtiliore, sutura minus distincta differt. Tria specimina congruentia exstant.

50. TRIFORIS CINGULATA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 1 magn. aucta.

Testa turrita, unicolor fusca, anfractus plani 14 (usque ad 16?) costulis duabus crassioribus et una tenuiore cincti; interstitia clathrata; basis planata; peristoma subquadratum; rostrum breve.

Triforis cingulata Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 236.

Unicum tantum specimen allatum est.

Testa vix 9 mill. longa, basi 2½ lata, sculptura sua insignis est. Anfractus carinis duabus obtusis aequalibus prorsus laevibus cincti sunt, in interstitiis autem costulae tenues longitudinales observari possunt, quae linea tenui decussantur, ita ut haec interstitia clathrata appareant. Sutura satis profunda est.

51. BITTIUM PUSILLUM Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 6 magnit. aucta.

Testa minima, turrita, fusca; anfractus 9—10 quadriseriatim granosi, per longitudinem subplicati, sutura profunda separati, ultimus basi costulis quinis instructus; apertura oblonga; canalis brevis paullo curvatus haud resupinatus.

Cerithium pusillum Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 224.

Cochleola exilis vix 6 mill. longa, 1½ lata, Cerithio columellari d'Orb.* (Cuba vol. II, pag. 135, Tab. XXXIII, figg. 13—15) peraffinis, testa vix ventrosa, varice et columella nigra carentibus satis diversa.

52. PALUDINAE

minoris cujusdam species detrita.

53. MELANIA TENUISULCATA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 13.

Testa conico turrita, apice paullulum truncata, tenuis, pallide olivacea, sulcis transversis exarata; anfractus parum convexi, ultimus circiter dimidiam testae partem adaequans; apertura ovato oblonga, superius acute angulata, inferius prolongata; columella arcuata.

Melania tenuisulcata Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 229.

Unicum tantum specimen allatum est anfractibus senis instructum, 23 mill. longum et 11 latum, sed parte ejus erosa suppleta certe 26 mill. longum.

Anfractus parum convexi liris vel sulcis tenuibus subaequidistantibus cinguntur, quippe qui basin versus validiores fiunt. Sub vitro plicae exiguae breves longitudinales, in anfractu ultimo atque penultimo clarius perspicuae apparent. Sutura est satis terminata, epidermis pallide olivacea tenuis, haud lamellosa.

Non sine haesitatione quadam hanc cochleam aquae dulcis unicam hic pro nova specie descripsi. Nil singularis prae se ferens primo intuitu ad unam vel alteram specierum permultarum, quae nunc innotescunt, adnumeranda esse videtur, sed acrius inspecta cum nulla alia plane convenit. — Melania ambidextra a clar. Siebold ex Japonia quondam reportata et nuperrime a clar. de Martens descripta (Malakoz. Bl. vol. VII, pag. 46) nostrae specici affinis est, sed notis certis differt, quod e descriptione accurata satis elucet.

54. RISSOINA SAGRAIANA d'Orb.

Cuba vol. II, pag. 25, Tab. XII, figg. 4, 5.

Testa elongata, subturrita, medio paullo convexa, alba, costulis longitudinalibus striisque transversis reticulata; anfractus convexiusculi, ultimus spira brevior, basin versus canaliculatus; apertura subovalis, inferne sinuata, labrum incrassatum sulcatum.

Lecta sunt plura specimina prorsus congruentia.

Testa 6 mill. alta, 2 lata. Anfractus octo sutura satis expressa divisi, costulis longitudinalibus striisque transversis exquisite cancellati vel reticulati plicas plus minusve distinctas ostendunt. Striae transversae usque ad marginem labri externum decurrunt, ita ut costulatum appareat. Anterior pars cochleolae canaliculo signata est. In anfractu ultimo costulae longitudinales 18 numerantur.

---

* Cerithium pallidum Pfr. est nomen antiquius.

Quamvis paullo differant nostra specimina ab icone et descriptione supra laudatis, tamen ea huc referenda esse arbitror.

55. RISSOINA COSTULATA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 11 magn. aucta.

Testa elongata, subturrita, apice acuta, alba, inferius sublutea, per longitudinem costulata; anfractus 8 convexiusculi, ultimus basin versus canaliculatus; apertura subovalis, inferne sinuata; labrum valde incrassatum.

Rissoina costulata Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 235.

Duo specimina exstant.

Testa 5 mill. alta, circa $1\frac{1}{2}$ lata, crassa, costulis subobliquis instructa. Anfractus ultimus spira brevior, in dorso subluteus, basin versus canaliculatus; costulae elevatae aeque distantes in eo quatuordecim numerantur. Rissoina (Rissoa) Chesnelii Michaud, quae ad insulas Antillas occurrit, habitu minore, formatione labri atque columellae differre videtur.

56. RISSOINA ANNULATA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 12 magn. aucta.

Testa elongata, crassa, alba; anfractibus senis transversim costatis instructa, ultimus dimidiam testae partem occupans; apertura ovata; labrum incrassatum.

Rissoina annulata Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 235.

Testa singularis 5 mill. alta, $1\frac{3}{4}$ lata. Anfractus convexiusculi sutura profunda sejuncti, costis elevatis transversis insignes sunt; in ultimo 7 numerantur. — In icone nostra costulae non satis expressae sunt.

57. LITORINA BREVICULA Phil.

Turbo breviculus Phil. in Zeitschr. für Malakoz. Lit. brev. Icon. vol. II, pag. 161, Tab. III, fig. 10. China, ad ostium fluminis Yang-tse-kiang.

Testa ovato-globosa, apice acuta, atro-fuscescens, cinerea vel rarissime alba; anfractus quinque convexi subito crescentes, costati, costae anfractus ultimi spira bis majoris 8—10, tres medianae crassiores albido nigroque maculatae vel articulatae; apertura suborbicularis; columella arcuata, basin versus dilatata paullulum excavata, luteo-albida vel subfusca; fauces atro-fuscae, fascia alba basali plerumque signatae.

Exemplar maximum quod inter plurima exstat, 11 mill. altum est. Ratio inter altitudinem et diametrum numeris 100 : 90 respondet.

Species ut plurimae ejus generis pervariabilis est, praesertim quod attinet ad picturam et colorem. Costae in anfractu ultimo plerumque tres validiores inveniuntur cum subtilioribus alternantes; costulae basales quatuor vel quinque aequales sunt. Specimina juniora haud detrita ob costas crassiores anfractus ultimi tricarinata apparent. Costae illae interdum vivide tesselatae sunt. Inter plurimos pullos unicus exstat albus apice fuscus, nonnulli in fundo fusco fascia alba signati sunt. — Uberiorem et quantum potui perfectam huius cochleolae descriptionem hic obtuli, quia plurima exemplaria inter se variantia examinandi data fuit occassio.

58. LITORINA EXIGUA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 3 magn. aucta.

Testa parvula, ovato-conica, acuta, cineracea vel caesia inaequaliter transversimque costulata, costulae majores plus minusve granulatae; anfractus tres vel quatuor, ultimus spira ter major, inferius subangulatus; apertura ovata; columella fusca arcuata et excavata, basi paullulum dilatata; fauces fuscae inferius zona pallida notatae. — Altit. 5—6 mill. Altit. et latit. ratio numeris 100 : 75 respondet.

Litorina exigua Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 226.

Haec species parvula Litorinae pictae Phil. Icon. vol. II, pag. 166, Tab. III, fig. 26 statura haud dissimilis, costulis granosis facile distinguenda est.

59. SOLARII

cujusdam species juvenilis.

60. SCALARIA JAPONICA Dkr.

Vide Tab. nostr. Tab. I, fig. 13 magn. aucta.

Testa turrita, imperforata, alba, anfractibus rotundatis costisque suberectis instructa.

Species Scalariae pulchellae Biv. habitu quidem similis, sed costellarum formatione diversa. Costellae parum erectae, haud crassae inaequidistantes, quoad numerum paullo variabiles; in speciminibus adultis anfractus ultimus costellis 11—13 munitus est. Plura exemplaria exstant; maximum 11 mill. altum, 4 latum. — Scala Klein nomen antiquissimum est pro hoc genere.

61. SCALARIA ANGUSTA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 11 magn. aucta.

Testa anguste turrita, imperforata, lactea; anfractus rotundati, costae aequales aeque distantes, sublamellosae, paullo resupinatae.

Cochlea modo 9 mill. alta, 3 lata, a Scalaria venosa Sow. Thes. Conch. fig. 72 non solum testa graciliore differt, verum etiam costellis remotiusculis parum reflexis.

62. NATICA ROBUSTA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 24.

Testa crassa, semiglobosa, inflata, pallide fulva, spira brevi acuta lutea in apice coeruleo-nigricante instructa; basis alba; anfractus convexi striati; umbilicus amplus, intus substriatus a carina obtusa rugosa circumdatus; callum umbilici magnum fuscum vel spadiceum sulco transverso bipartitum, pars calli inferior minor; apertura superius albo fulvoque variegata, inferius alba; labrum basin versus incrassatum. — Altit. ab apice usque ad aperturae partem basalem 40 mill., diametros obliqua 42, altit. a tergo usque ad ventrem 25.

Natica robusta Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 232.

Haec Natica nostra cum nulla omnium, quae ad hoc usque tempus descriptae et depictae sunt specie plane congruit, ita ut eam pro specie nova habeam. Maxime affinis est Naticae bicolori Phil., quam in Chemnitzii operis editione altera pag. 43, Tab. VI, fig. 4 bene descriptam atque depictam invenies, — sed differt testa crassa majore haud depressa, ad suturam minime concava neque plana et

calli bipartiti parte inferiore minore striisque denique incrementi distinctius expressis nec non lineolis undulatis transversis, quae quidem lineolae sub vitro tantum cognoscendae sunt.

Duo specimina exstant alterum adultum, alterum juvenile, sed plane congruentia; specimen, quod adest tertium hac differt unica nota, quod totus fere umbilicus callo bipartito clauditur. Difficile est dijudicatu num pertineat hoc exemplar ad propriam quandam speciem, an potius ad varietatem Naticae robustae.

63. NATICA ADAMSIANA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 20.

Testa ovato-globosa, solida, tenuissime striata, paene laevigata, cinereo-rufescens; zonae pallidiores duae in anfractu ultimo conspicuae, altera superior angusta, altera inferior lata; anfractus rotundati quinque ad suturam oblique subtiliterque plicati, subangulati, ultimus spira ter major; umbilicus parvus, callum exiguum, apertura spadicea superius et inferius albo zonata. — Specimen quod exstat unicum altitudinem 19 mill. aequat.

Natica Adamsiana Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 231.

Species N. avellanae Phil. Chemn. edit. II, pag. 75, Tab. 11, fig. 14 similis, testa globosa, anfractibus subangulatis, callo minore spadiceo, apertura aliisque notis satis differt.

64. NATICA CONCINNA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 21.

Testa parvula solidula, globoso-ovata, laevigata, ad suturam oblique subplicata, albida, flammulis longitudinalibus fasciisque duabus fuscis transversis articulatis picta; spira breviuscula quintam totius cochleolae partem subaequans; anfractus convexi sutura distincta divisi, ultimus ventrosus, umbilicus parvus; callum umbilici lunatum album; apertura paene semicircularis. — Altit. 8—9 mill. ratio mensurae = 100 : 80.

Natica concinna Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 232.

Pictura nostrae speciei constans et semper eadem esse videtur; flammulae longitudinales pallidiores fasciis duabus articulatis obscurioribus terminantur, in latere vero inferiore lineam punctorum minimorum nec non maculas singulas majores umbilicum circumdantes invenies. Unum exemplar collectionis nostrae vestigia epidermidis tenuissimae corneae ostendit.

Natica pulchella Pfeifferi (cfr. Wiegm. Arch. VI, 1, pag. 254, 1840 = N. Sagraiana d'Orbigny in Ramon de la Sagra descr. de Cuba Moll. pag. 34, Tab. XVII, figg. 20—22.) ex Antillarum insulis differt testa paullo minore, tenuiore, nitidissima, plicis distinctioribus et pictura pallidiore variabili.

65. NATICA PELLIS TIGRINA (NERITA) Chemn.

Chemn. C. C. vol. V, pag. 265, Tab. 187, figg. 1892 et 1893 = N. maculosa Lam. Deless. Tab. 32, fig. 14.

Specimen unicum minus valde detritum exstat.

66. NATICINA PAPILLA (NERITA) Gmel.

Chemn. C. C. vol. V, pag. 284, Tab. 189, fig. 1939. Papilla seu ruma felis Chemn. = Natica costulata Quoy et Gaim. Voy. de l'Astrol. vol. II, pag. 235, Tab. 66, figg. 20 et 21. In insulis Tranquebaricis et Molluccis satis frequens.

Specimen unicum haud adultum adest.

67. CAPULUS PILOSUS Desh.

(Guérin mag. de Conch. Tab. 5.)

Quatuor specimina valde detrita exstant, testa irregulari plus minusve ovato-rotundata tota alba vel marginem anticum versus lutea, costulis a vertice obtuso valde excentrico radiantibus sulcisque transversis granoso-reticulata. Impressio muscularis utrinque elongata distincta. Testam haud mutilatam epidermide pallide fusca setigera semper obductam invenimus.

68. HIPPONYX AUSTRALIS Desh.

Patella australis Lam. Deless. Rec. Tab. 23, f. 11.

Plura specimina exstant plane convenientia cum iis, quae Cerithio laevi adhaerentia e Nova Hollandia reportavit clar. Preiss. — Ad Amaltheas Schum. pertinet.

69. HIPPONYX FOLIACEUS Quoy et Gaim.

Astr. vol. III, p. 439, Tab. 72, figg. 41—45.

Plura specimina ex parte detrita exstant testa suborbiculari plana, alba transversim squamosa et radiatim striata. Haec species Amaltheae antiquatae L. simillima, et in Mariannis insulis occurrit.

70. OBELISCUS SOLIDULUS Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 5 magn. aucta.

Testa acute conica, solidula, flavo-albida, anfractibus 7 planiusculis instructa; apertura rotundato-ovata; labrum intus sulcatum; columella brevis plica crassa munita.

Obeliscus solidulus Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 233.

Cochlea parvula vix 5 mill. alta, $1^3/_4$ lata unicolor flavo-albida, testa crassiuscula insignis. Sutura ut in hoc genere solet profunda; columella denticulo, vel potius plica crassa munita est.

71. OBELISCUS HYALINUS Dkr.

Vide Tab. nostr. fig. 9 magn. aucta.

Testa elongato-conica, lactea, hyalina, glabrata, splendidissima; apice acutiuscula; anfractus perparum convexi, sutura profunda sejuncti, ultimus tertiam longitudinis partem aequans; apertura superne acuta, labrum tenue intus quadrisulcatum; columella media unicostata, supra costam sinuata.

Obeliscus (Pyramidella) hyalinus Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 233.

Testa parvula concinna $5^1/_2$ mill. alta, $2^1/_2$ lata nitidissima est et hyalina, ita ut costae labri transluceant. Cochleola singularis, ab omnibus, quas cognitas habemus, diversa.

72. TURBONILLA VARICOSA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 9 magn. aucta.

Testa elongato-turrita, gracillima, anfractus 13—14 per longitudinem creberrime confertimque costulati hinc illic varicosi lineisque transversis decussati, ultimus basi tenuissime liratus; columella superne valde sinuata, inferne recta; apertura ovata, sutura angustissima.

Turbonilla varicosa Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 239.

Duo tantum specimina exstant, alterum illaesum 11 mill. longum, $2^1/_2$ latum cinereo-fuscum, alterum mutilatum pallide flavum, basi subfuscum lineisque pallidioribus cinctum. Utraque testa hinc illic varicosa.

Haec species gracilis a Chemnitzia grandi Adams et Reeve (Samar. pag. 52, Tab. XI, fig. 17) habitu minore, anfractibus nonnullis varicosis nec non basi tenui-lirata satis differt. Anfractuum formatio, varices et tota hujus cochleolae natura Scalarias nonnullas in mentem vocant. Dolendum est pictorem illos varices in icone nostra omisisse.

73. TURBONILLA PHILIPPIANA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig 12 magn. aucta.

Testa turrita, albida, crassiuscula; anfractus plano-convexi, superne angulati, paene scalati, per longitudinem plicati, plicae crassae rectae, interstitia transversim tenuiterque striata; basis tenuilirata; columella recta.

Turbonilla Philippiana Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 239.

Quattuor specimina exstant structura sua plane congruentia, maximum 9 mill. altum, 4 latum. Testa solidula albida, Turbonillam scalarem (Melaniam) Phil. (Moll. Sicil. vol. I, pag. 157, Tab. IX, fig. 9) in mentem vocat, quae vero multo minor est.

74. TURBONILLA TEREBRA.

Vide Tab. nostr. I, fig. 6 magn. aucta.

Testa aciculata, alba, nitida, transversim sulcata, anfractus 12 plano-convexi, ultimus quartam paene altitudinis partem occupans; apertura ovata; columella recta basi effusa.

Turbonilla terebra Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 239.

Specimina duo exstant, alterum adultum, alterum junius.

Testa 8 mill. alta 2 lata sulcis transversis eleganter arata, sulci in anfractibus superioribus tres numerantur subaequidistantes, in ultimo octo, inferiores conferti et subtiles. Sutura satis profunda. — Forma singularis a Turbonillis paullo recedens, quippe quae costulis longitudinalibus instructae esse solent.

75. TURBONILLA CINGULATA Dkr.

Vide Tab. nostr. I, fig. 10 magn. aucta.

Testa turrito-subulata, alba; anfractus plano convexi, cingulis elevatis instructi; apertura ovata; columella basi subeffusa.

Turbonilla cingulata Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 239.

Testa circa 10 mill. alta, 2 lata. Anfractus parum convexi; sutura distincta, linea elevata signata. Cingulae in anfractu ultimo 7 laeves planiusculae non acutae, sed prominentes, in reliquis anfractibus tres; in cingularum interstitiis lineae tenerrimae longitudinales sub vitro observari possunt.

Haec cochleola insignis Turritellarum quarundam formam refert, sed aperturae formatio valde aliena Turbonillis respondet. A Turbonilla terebra differt testa graciliore, costis transversis vel cingulis elevatis lineisque longitudinalibus interstitia occupantibus.

Haec et quae antecedit species fortasse ad genus »Aclis« Lovéni referenda est (cfr. Ind. Moll. lit. Scand. hab. 1846, pag. 16).

76. ODOSTOMIA COSTULATA Dkr.*

Vide Tab. nostr. II, fig. 15 magn. aucta.

Testa aciculato-turrita, per longitudinem costulata, alba; anfractus 8 convexiusculi sutura distincta separati, ultimus spira minor, costulis 22 rectis ornatus; apertura ovata, superne acuta; labrum simplex; columella sinuata uniplicata.

* Melius scribitur Odontostoma, sed varia genera, quibus hoc nomen impositum est, commutari non debent.

Testa parvula, modo 5 mill. longa, 2 lata, formam Turbonillarum quarundam refert, praesertim ratione habita costellarum. Cum vero columella arcuata neque recta et praeterea plica unica instructa sit, cochleolam Odostomiis annumerandam esse censeo, si modo plica illa alicujus est momenti.

77. ODOSTOMIA FASCIATA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 2 magn. aucta.

Testa elongato-conica, laevissima, nitidissima, alba, fascia tenui cincta, anfractibus 8 planis, sutura incisa sejunctis instructa, ultimus spira paullo minor; apertura ovata; labrum tenue; columella recta superius dentata; rimam umbilici paullulum obtegens.

Odostomia fasciata Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 234.

Testa concinna 5 mill. alta, $1\frac{1}{2}$ lata, cingula flava insignis est; cingula altera pallidior, umbilicum circumdans, facile negligi potest.

78. ODOSTOMIA LACTEA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 4 magn. aucta.

Testa elongato-conica, solidula, alba, nitida; apex acutiusculus; anfractus octo parum convexi, sutura profunda separati, ultimus spira paullum brevior; apertura ovalis, inferne aliquantulum producta; labrum tenue; columella media unidentata, vel potius unicostata, inferius recta.

Odostomia lactea Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 234.

Testa $6\frac{1}{2}$ mill. longa, 2 lata, sub vitro strias tenuissimas ostendit; habitum Hydrobiae acutae Drap. refert.

Annotandum est, omnes Odostomiarum species, quas nunc cognitas habemus, in denticulis, si accuratius inspiciantur, revera ultimam tantum laminae spiralis partem ostendere, qua propter denticulus ille sic dictus jam in speciminibus pullis observari potest.

79. EULIMELLA PHILIPPIANA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 8 magn. aucta.

Testa cylindraceo subulata, apice obtusiuscula, alba, subpellucida, laevissima, nitidissima; anfractus 9 planati appressi, ultimus tertiam paene totius testae partem aequans; columella producta recta; apertura elongata, subrhombea.

Eulimella Philippiana Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 226.

Specimen unicum exstat 11 mill. longum, 2 latum. Ab Eulimis veris columella recta discrepans ad Eulimellas, genus Forbesianum, referenda.

80. VERMETUS IMBRICATUS Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 18 cum particula per vitrum aspecta.

Testa solidiuscula, antice subrecta et libera, vel toto ventris latere incumbens, pallide fusca striis costisque longitudinalibus subimbricatis instructa.

Vermetus imbricatus Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 240.

Duo specimina exstant ad basaniten paullo porosum et multas particulas augitae et aragoniten continentem affixa. Testa eorum solidiuscula, turbinata, altera antice suberecta et libera, altera toto ventris latere incumbens et lapidi adnata. Utrumque specimen maximam partem decoloratum est et erosum, sed alterum eorum aperturam versus omnino illaesum, colore fusco costisque longitudinalibus

imbricatis instructum, qua nota a Vermeto giganti Biv. differre videtur, quem nunquam imbricatum invenimus, quamvis mirum in modum variare soleat ut omnes ejus generis species. Tubus plane teres, intus laevigatus et coeruleo lacteus. Pars testae in lapide insidens irregularis et subtrigona est ut Vermetus gigas, maris mediterranei incola.

Annotandum est particulam in tabula nostra magnitudine aucta delineatam squamulas erectas haud perspicue ostendere.

81. VERMETUS PLANORBIS Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 16.

Testa solidula, alba, orbiculata, carinata transversimque sublamellosa. — Latit. vix 4 mill.

Vermetus planorbis Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 240.

Specimen unicum exstat in Vermeto imbricato insidens. Testa ejus parvula paullulum immersa, latere superiore plana, carina obtusa spirali nec non lamellis transversis obsoletis instructa est. Anfractus embryonales laevigati e centro testae aliquantulum erecti, spirae Paludinae cujusdam parvulae haud dissimiles sunt (conf. icones). Apertura subrotunda non uncinata vel dentata est.

A Vermeto corrodente d'Orb. (cfr. Ramon de la Sagra Cuba Moll. vol. I, pag. 235, Tab. XVIII, figg. 1—3), qui auctore d'Orbigny Trocho tuberi Linnaei semper affixus est, haec nostra species inprimis differt testa regulari et aperturae formatione, nam margo aperturae in illa specie carina producta dentatus apparet, qui dens in nostra specie plane desideratur.

82. SIPHONARIA COCHLEARIFORMIS Reeve.

Quattuor exemplaria exstant, ut videntur juniora, forma, colore et costarum indole congruentia cum speciminibus nonnullis, quae a clar. H. Cuming jam dudum sub nomine Siphonariae cochleariformis (ex Philippinarum insulis) accepi; sed doleo, me descriptionem haud comparare potuisse.

83. NERITA ALBICELLA L.

S. N. edit. X, p. 778, n. 640. — Mus. Lud. Ulr. Reg. pag. 679. — Reeve Conch. icon. sp. 64 etc.

Unicum specimen exstat albo nigroque variegatum, vertice erosum, quod in hac specie ad sectionem Mörchianam Theliostyla pertinens, haud raro occurrit.

Frequentissima est in litore Africano, in Philippinarum insulis aliisque regionibus.

84. NERITA JAPONICA Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 23.

Testa ovata tenuicula, luteo atroque variegata; spira subelevata; apex jam in pullis erosus; labrum paullo incrassatum subconcavum; columella laevigata. — Altit. 8 mill. diam. maxima 10—11 mill.

Nerita Japonica Dkr. in malakoz. Bl. 1860, pag. 233.

Multa specimina exstant pictura et colore variantia; in fundo enim albido vel luteo, apicem versus interdum aurantio, atro undulata, pennata vel marmorata sunt. Testa in picturis tantum atris vel paullo nigrescentibus tenuiter striata transversimque costulata, in fundo autem luteo opaca et subaspera, ita ut pictura locis quasi erosis, ubi color ater deest, orta esse videtur.

Haec Nerita multam affinitatem praebet cum Neritinarum genere, praesertim cum prorsus careat columella dentata, sed operculum tenuiter granosum omnem structuram Neritarum prae se fert.

Nerita Yoldii Recl. a dorso spectata nostrae speciei simillima est.

85. NERITINA MERTONIANA Recl.

Proc. Zool. Soc. 1843, pag. 71. — Reeve Conch. icon. sp. 141.

Plura specimina exstant colore et picturae indole variantia, sed erosa et detrita.

Species in Philippinis insulis satis frequens. Beato Gruner affirmante et in Australia occurrit.

Ad Vittarum subgenus Kleinianum pertinet.

86. TURBO RECLUSUS (CORONA) Chemn.

C. C. vol. V, pag. 201, Tab. 180, figg. 1791—93 = T. coronatus Gmel.

Specimina tantum juniora exstant.

Nomen quod Chemnitzius cochleae imposuit antiquius est nomine Gmelini.

87. TURBO CONCINNUS Phil.

Chemn. C. C. ed. II, pag. 44, Tab XI, fig. 6. (Specimen coll. meae grande.)

Exemplaria minora Japonica adsunt, colore perviridi vel prasino fuscoque variegata, strigis nonnullis fuscis et albis picta. Costae transversae praesertim majores nec non basales fusco alboque articulatae sunt. Specimen unicum umbilico parvo insigne est, reliqua prorsus imperforata sunt. — Turbo nivosus Reevei (Conch. icon. sp. 43 et 44) ex insulis Philippinis pro nostra opinione huc referendus est ut varietas costis majoribus subsquamosis notata.

88.

Duo opercula Turbinis cujusdam prorsus decolorata atque adesa. Quamvis eorum structura paullulum differat ab operculis Turbinis cornuti Gmel. (S. Nat. ed. XIII, pag. 3593) — granula melius expressa sunt, umbilicus callo spirali altiore et distinctiore circumdatus est — tamen ad hanc speciem maris Sinensis frequentem pertinere videntur.

89.

Opercula plura minora, quae differunt ab operculis Turbinum cornutorum juvenilium praesertim linea spirali angustiore.

90. DELPHINULA (TURBO) DELPHINUS L.

D. laciniata Lam.

Cochlea in Indiis satis frequens. Specimina allata non vidi.

91. LIOTIA PILULA Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 7 magn. aucta.

Testa subglobosa anguste umbilicata, costulis inaequalibus obsoletis cincta, alba, pictura atro-purpurea variegata; anfractus rotundati, subito crescentes, sutura profunda sejuncti; apertura orbicularis.

Liotia pilula Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 226.

Testa crassa, parvula subglobosa, 6 mill. lata, $4\frac{1}{2}$ alta, quoad staturam suam et peristoma exacte circulare ad Liotias referenda est. — Notari debet pictorem costulas transversas in cochleola nostra haud pinxisse.

92. CYCLOSTREMA PULCHELLUM Dkr.*

Vide Tab. nostr. III, fig. 5 magn. aucta.

Testa subdiscoidea, solidula, lactea, late umbilicata, anfractibus carinatis per longitudinem elegantер costatis subclathratis, subito crescentibus instructa; spira depressa; apertura rotundata.

Cyclostrema pulchellum Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 225.

Testa elegantissima parvula, modo 3 mill. lata, $1^1/_2$ alta, paene discoidea, anfractibus quaternis rotundatis, quadricarinatis costulisque longitudinalibus aeque distantibus decoratis constat. Carina maxima peripheriam testae occupans, a carinis minoribus aequalibus utrinque cingitur; carina minima umbilicum latum circumdat. Apertura paene regulariter rotundata ejusque margo paullo incrassatus.

Haec cochleola plane adulta, Delphinulam Reeveanam, pariter ad Cyclostremata pertinens, in mentem vocat; sed nostra testa multo minor est et alienam peristomatis formationem ostendit.

93. CYCLOSTREMA CINGULATUM Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 11.

Testa subdiscoidea, lactea, umbilicata, spira depressa, anfractibus quaternis subito crescentibus tricarinatis instructa; sutura incisa; apertura subrotunda.

Cyclostrema cingulatum Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 225.

Testa parvula magnitudine et mensuris praecedentis. Carina media elevata, in dorso plana, utrinque angulata est, carinae superior et inferior obtusae sunt. Praeterea tota testa striis subtilissimis longitudinalibus et transversis (spiralibus) cancellata apparet, id quod in speciminibus integerrimis sub vitro tantummodo conspici potest.

Tertia adhuc Cyclostrematum species adest, sed minis detrita, in peristomate mutilata, ut accuratius determinari nequeat.

94. GLOBULUS MONILIFER (ROTELLA) Lam.

Plura hujus cochleolae specimina ex parte detrita exstant pictura variabili. Maximum 15 mill. latum est.

Clar. Henry et Arthur Adams fratres antiquissimum nomen Linkianum: Umbonium (1807) pro hoc genere restituerunt (cfr. gen. of rec. Moll. vol. I, pag. 408).

95. TROCHUS HAEMATRAGUS Mke.

Catal. coll. Malsb. Pyrmonti 1829, pag. 18. — Trochus columellaris Phil. Icon. vol. III, Trochus Tab. VII, fig. 3. Chemn. C. C. ed. II, pag. 123, Tab. 21, fig. 5.

Duo specimina minora basi exquisite squamosa exstant, alterum columella purpurea, alterum rosea signatum. Species quasi intermedia inter Trochum rhodostoma Lam. et Tr. unguem Wood, ut clar. Philippi recte ait.

Ad Stellas Kleinii pertinet.

96. TROCHUS PYRAMIS Born.

Test. Mus. Caes. Vind. pag. 333. — Geeve Bel. Tab. IX, fig. 68! — Chemn. vol. V, Tab. CLX, figg. 1511—1513, edit. II, Tab. I, figg. 1—3 = Trochus obeliscus Gmel. et Lam.

Species habitu et sculptura variabilis. Tria quae adsunt exemplaria a forma, quam referunt icones laudatae paullo discrepant; sunt enim irregulariter rugulosa et subgranosa — in uno tantummodo

* Vocabulum Cyclostrema falso pro feminino ponitur.

specimine granulorum series triplex obliterata observatur — in anfractibus planiuscula et margo eorum basalis angulum format acutum, quo fit, ut basis planior se offerat. Testa lateribus virescens fusco alboque variegata est; basis pallide fusca et alba.

Genus Pyramidum in hanc cochleam a Schumachero anno 1817 fundatum est. In Indiis satis frequens obvenit.

97. TROCHUS ROTA Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 4.

Testa conica, colore albo et viridescente variegata maculisque sanguineis irregularibus aspersa vel marmorata; anfractus planiusculi subgranosi superne nodulorum seriebus duabus vel tribus cincti, inferne costati, costae subobliquae crassae in peripheria 17 — 18 in spinas obtusas productae; basis concava liris 7 — 8 concentricis vel potius spiralibus subnodosis instructa; cavitas contorta profunda umbilicum mentiens; columella subnodosa; labium inferius subserratum; apertura rhombea; fauces sulcatae. — Altit. axeos 20 mill. diam. maxima 25 mill.

Trochus rota Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 238.

Species concinna atque genuina nos delectans, cum nulla, quae nunc innotuit commutanda. Quod attinet ad picturam variabilis esse videtur sicuti et Trochus maculatus Gmel., quem in mentem vocat si respicimus columellam et umbilici regionem. Costae crassae basi productae dentibus rotulae similes sunt.

Ad Polyodontas Schumacheri pertinet.

98. TROCHUS NIGERRIMUS Gmel.

L. S. N. ed. XIII, pag. 3572. — Chemn. C. C. vol. V, pag. 89, fig. 1647.

»Trochus niger umbilicatus, cidariformis, plicatus, intus argenteus, columellae labio dente unico obsoleto notato«. China.

Specimen juvenile exstat huc referendum.

Haec species, ad Omphalios Phil. pertinens, a Gmelino in iconem et descriptionem supra laudatas fundata est. Colore et sculptura parum variantibus occurrere solet.

99. TROCHUS RUSTICUS Gmel.

L. S. N. pag. 3572 n. 35. Chemn. edit nov. pag. 48, Tab. 10, figg. 11, 12 (specimen unicolor nigrum).

Species varians habitu, sculptura et colore. Striae incrementi obliquae raro expressae sunt, plicae longitudinales modo crassae, modo obliteratae. Testa unius speciminis lutei linea spirali nigra superiorem anfractuum partem cingente insignis est; reliqua specimina in fundo albido vel subrubro maculis nigris et atro-purpureis variata sunt.

Trochus rusticus est species maris Sinensis frequentissima.

Hac occasione oblata adnotari debet cochleam nostram minime ad varietatem quandam majorem et detritam Trochi nigerrimi Gmel. pertinere, ut clar. Jonas suspicatus est (Zeitschr. für Malakoz. 1844, pag. 114).

100. TROCHUS CARPENTERI Dkr.

Vide nostr. Tab. III, fig. 12.

Testa solida, umbilicata, conica, alba, flammis strigisque obliquis nigris vel rubido nigris variegata; anfractus planiusculi oblique costati, ultimus distincte angulatus; costae irregulares et rugosae; striae incrementi perobliquae sub vitro clare perspicuae; basis paullulum concava, lineis incrementi tenuissimis lirisque spiralibus nonnullis obscuris sculpta; columella basi dente unico munita; callum album umbilicum cingens. — Speciminum maximum 30 mill. altum, 31 latum.

Trochus Carpenteri Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 237.

Primo intuitu hic Trochus facile commutari potest cum antecedente rustico, qui differt testa minore conoidea, anfractibus convexiusculis ad suturam subangulatis, ultimo obtusangulo, umbilici formatione aliisque notis. Cum Tr. rustico ad Omphalios sic dictos pertinet.

Philippo Carpenter, deligentissimo et accuratissimo in elaborando Molluscorum Californiorum indice scriptori, dicata est haec nostra species.

101. TROCHUS BRUNNEUS (CHLOROSTOMA) Phil.

Cfr. Zeitschr. für Malakoz 1848, pag. 188. — Chemn. C. C. edit. II, Tab. 43, fig. 19.

Specimen unicum exstat cum descriptione exacta supra laudata plane congruens.

102. TROCHUS NIGRICOLOR Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 2.

Testa conoidea, imperforata, obsolete striata, nigra, anfractibus plano-convexis ad suturam distinctam perparum depressis, ultimo subangulato, instructa; basis convexa, sordide rubra et flavescens; callum umbilici locum tenens subviride et foveola instructum; columella perobliqua unidentata; fauces margaritaceae non sulcatae. — Altit. axeos 17 mill., diam. maxima 28 subaequat.

Trochus nigricolor Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 237.

Exemplar unicum adest apice erosum, ita ut stratum margaritaceum et stratum luteum sub cortice nigro eluceant. Specimen junius collectionis nostrae certe huc pertinet. Striis incrementi instructum lineisque transversis in anfractibus superioribus bene conspicuis cinctum est. Operculum corneum et tenue in eo profunde insidet.

Nostra species plane convenit cum Trocho argyrostomo Gmelini si respicimus ejusdem basin vel latus inferius, qua propter cum genere antecedente jungenda est. Habitus vero totus Trocho merulae respondet, sed haec cochlea in basi pulcherrime rosea, in peristomate obsolete striata, dente columellari prorsus caret.

103. TROCHUS DISTINGUENDUS Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 1.

Testa solida haud perforata tenuiter confertimque plicata, oblique striata, purpureo-atra, inferius pallidior; anfractus plano-convexi, ultimus angulatus; basis planiuscula; apertura suborbicularis; columella dentata sinuata; callum album umbilici locum tegens. — Altit. 18, latit. maxima 20 mill.

Trochus distinguendus Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 237.

Haec species Trocho nigerrimo Gmel. simillima umbilico prorsus carente facile distinguenda est. — Cum Tr. nigricolore et brunneo ad Chlorostomata Swainsoni pertinet.

104. EUCHELUS BRONNI Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 8 magn. aucta.

Testa globoso-conoidea, perforata, colore fuscescente et albo variegata, anfractibus senis convexis, ultimo basin versus subangulato, instructa; basis plano-convexa; umbilicus angustus crenatus; apertura subrotunda; labrum intus costatum; columella obliqua denticulo crasso terminata.

Monodonta (Euchelus) Bronni Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 229.

Testa 6 mill. alta, 8 lata, costis rotundatis majoribus nodiferis minoribusque sublaevigatis cincta est. In costarum majorum interstitiis lineae nonnullae elevatae observantur. Costulae in latere baseos

angustiores paene omnino laeves apparent. Cochleola colore albo et fuscescente variegata et tesselata, ad suturam impressam maculis grandibus subpurpureis picta.

Differt a Monodonta Philippii Koch testa globoso conoidea.

105. MONODONTA LABIO L.

Omnia quae exstant exemplaria, excepto unico, sunt juvenilia atque nimis detrita. Color et pictura in hac specie per latos tractus diffusa magnopere variant.

106. TROCHUS UNICUS Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 3.

Testa conica, basi dilatata, apice acuta, imperforata, crassiuscula, costulis inaequalibus multis cincta, subrufa, flammis ferrugineis inde a sutura radiantibus et una macularum fuscarum serie ornata; anfractus convexi superne subangulati, sutura haud profunda sejuncti, ultimus latus; basis valde convexa transversim sulcata; apertura rhombeo-orbicularis; columella arcuata; fauces leviter sulcatae. — Altit. axeos 15, latit. maxima 20 mill. aequat.

Trochus unicus Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 238.

Unicum tantummodo specimen attulit peregrinator noster.

Pictura hujus speciei elegantissimae singularis et propria est; in fundo pallide rufo flammulae a sutura inde anfractuum incipiunt ferrugineae, quae dum latiores fiunt, sensim expallescunt. Anfractus ultimus obscure biangulatus, macularum ferrugincarum serie cingitur, angulum obtusum inferiorem occupante. Haec macularum series in ipsa sutura conspicitur. Margarita splendidissima est. — Ad Zizyphinos Leach pertinet haec species nostra.

107. STOMATELLA JAPONICA Adams.

Proc. Zool. Soc. 1850, pag. 31.

Plura exemplaria Stomatellae cujusdam allata sunt, quae ad Japonicam pertinere videntur, cum descriptio supra laudata, quamvis brevis et mensuris carens, nec non patria inter omnes quas promulgavit auctor, speciminibus nostris optime respondeant. — Testa imperforata, suborbicularis, convexa, solidiuscula, albida, costis irregularibus transversis, rugosis vel subnodosis, rubro vel nigro-articulatis ornata, lineolisque longitudinalibus, interstitia tantum occupantibus elegantissime sculpta; anfractus convexi sutura profunda disjuncti; spira prominens turbinata; columella paullo cavata; apertura obliqua, ovalis; margarita, ut in hoc genere solet, splendidissima. — Specimen quod adest maximum 19 mill. latum, 10 altum est.

108. HALIOLIS GIGANTEA Chemn.

Chemn. C. C. vol. X, Tab. 167, figg. 1610, 1611 = Hal. tubifera Lam.

Tria specimina juniora habitu variantia exstant. Persuasissimum nobis est Haliotin Kamschatkanam Jonasii (cfr. Phil. icon. vol. II, Tab. VIII, fig. 2) nec non Hal. discum Reevei (Conch. icon. spec. 31) ad hanc ipsam speciem Chemnitzianam pertinere, quod tota speciminum juniorum et adultorum series collectionis nostrae satis demonstrat.

109. EMARGINULA PICTA Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 15 magn. aucta.

Testa solida, ovato-oblonga, alba, radiis latis viridescentibus picta, costis longitudinalibus inaequalibus costulisque transversis subcancellata; margo crenatus; vertex subcentralis curvus.

Emarginula picta Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 226.

Tria specimina exstant unicum tantum illaesum.

Testa 9 mill. longa, $5^1/_2$ lata, $4^1/_2$ alta, toto margine incumbens, utrinque subcompressa, solidula; costae majores 7 — 8 rotundatae, subsquamatae ex parte nodiferae, marginem excedunt, costae minores passim lineis elevatis iterum divisae sunt; vertex laevis recurvus plus-minusve centralis. Fissura haud profunda.

Emarginulae depressae Blainv. affinis, at satis diversa. — Subemarginulis sic dictis adnumeranda est nostra species.

110. PATELLA SACCHARINA L.

L. S. N. edit. XII, pag. 1258. Astrolepas saccharina Argenville. Astrolepas tigerina Mart.

Specimina nonnulla juniora forma variantia pictura atro-fusca in fundo albo exstant.

Species in Philippinarum insulis frequentissima.

111. PATELLA HEROLDI Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 13 magn. aucta.

Testa parva, ovato-elliptica, parum elata, costulis radiantibus creberrimis plus minusve distinctis sculpta, albida, picturis variis fuscis ornata; vertex elevatus, quartam fere testae partem occupans, margo integerrimus lacteus, vel coerulescens, centrum fuscum.

Plura specimina allata sunt.

Cochlea 11 mill. longa, 8 lata, 4 alta, paene elliptica, tenuis, toto margine incumbens, statu integro costulis radiantibus confertissimis instructa est. Pictura pervariabilis modo fusco marmorata, modo radiata vel albo guttata, modo flammulata vel undulata.

Differt a Patelloida pileopsi Quoy et Gaim. (Astrol. vol. III, pag. 359, Tab. 71, figg. 25—27) statura minore, vertice haud recurvo testaque magis depressa. — Certe Acmaeis adnumeranda est nostra species, Mauritio Herold entomologo celebri dedicata.

112. PATELLA CONULUS Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 19 magn. aucta.

Testa parvula, suborbicularis, conoidea, costulis radiantibus obsoletissimis instructa, alba et fusco variegata; vertex valde elatus subcentralis.

Unicum tantummodo specimen exstat.

Testa 9 mill. longa, $7^1/_2$ lata, 7 alta, solidula, alba striis fuscis radiantibus latis marginem versus quasi ramosis picta, forma sua conoidea insignis est. Margo acutus integer omnino incumbens albo et fusco maculatus est. — Cochleola formam Siphonariae Lessoni Blainv. in mentem vocat.

113. PATELLA PYGMAEA Dkr.

Vide Tab. nostr. III, fig. 20 magn. aucta.

Testa parvula, oblongo-elliptica, elata, costulis permultis radiantibus sculpta, alba et fusco variegata; vertex obtusatus, in tertia longitudinis parte situs.

Patella (Acmaea) pygmaea Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 234.

Testa minuta circa 6 mill. longa 4 lata, 3 alta, solidula, satis elata, radiatim obsoleteque costulata, pictura variabili, Patellae exili Phil. (Icon. vol. III, pag. 35, Tab. II, fig. 6) simillima, costulis radiantibus et picturae indole facile distingui potest. — Ad Acmaeas nescio an sit melius adjungenda.

114. ATYS NAUCUM L.

Bulla naucum L. M. L. U. pag. 586.

Specimina nonnulla juniora allata sunt.

115. BULLA ANTILLARUM d'Orb.

Hist. de l'île de Cuba Moll. vol. I, pag. 124, Tab. IV, figg. 9—12.

Testa ovata subinflata, tenuis, pellucida, striis tenerrimis longitudinalibus instructa, imperforata; apertura oblonga antice dilatata; columella valde arcuata.

Cochleola circa 6 mill. longa, 4½ lata, nitida, imperforata striis tantum longitudinalibus subtilissimis instructa, a Bulla hydatide Linnaei lineolis transversis deficientibus, habitu multo minore et vertice non perforato satis diversa. Ad Hamineas Leach (Gray. Zool. Proc. 1847, pag. 161) pertinet.

116. TORNATINA EXILIS Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 14 magn. aucta.

Testa candida, ovato-oblonga, per longitudinem tenuissime striata; spira conica subcanaliculata et mucronata; apertura superne angusta, basin versus dilatata; columella plica obsoleta signata.

Tornatina exilis Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 222.

Cochleola parvula modo 4½ mill. alta, 2 lata, tenuis, subdiaphana, ovato-oblonga, subcylindracea, antice paullo dilatata, Bullae pusillae Pfr. (Candei Orb.) ex Antillis insulis simillima, inprimis testa paullulum majore tenui, spira magis erecta et columella obsoletissime plicata differt. Tornatinarum genus ab A. Adams creatum (Sow. Thes. XI, 554) a Bullis veris aliisque Bullidarum generibus bene distinguendum est spira erecta, plica columellari obsoleta aliisque notis.

117. AURICULA POLITA Metc.

Duo exemplaria valde erosa et adesa exstant, quae amico Ludovico Pfeiffer fide, docto et intelligentissimo Auriculaceorum existimatore, huc spectare videntur.

118. CASSIDULA KRAUSSII Küster.

Specimina juniora et adulta allata sunt forma sua paullo variantia.

119. LAIMODONTA PFEIFFERI Dkr.

Vide Tab. nostr. II, fig. 19 magn. aucta.

Testa minima, ovato-conica, imperforata, transversim striata, fusca, fascia una vel duabus luteis cincta, anfractibus senis vel septenis, ultimo spira conica longiore, instructa; columella tricostata; labrum acutum, intus subincrassatum unicostatum. — Long. 5, lat. 3 mill.

Laimodonta Pfeifferi Dkr. in malakoz. Bl. vol. VI, pag. 201.

Plura specimina exstant plane congruentia. Testa minima solidula, transversim aequaliterque striata, obscure fusca, fascia una vel duabus luteis cincta, Laimodontae (Auriculae) Sandwichiensi Eyd. et Soul. peraffinis, his duabus notis primariis differt: primum est duplo paene minor, deinde inter costas columellae mediam atque basalem plicae duae observantur minimae, quae quidem sub vitro tantummodo agnosci possunt.

Clar. Pfeiffer Laimodontas pro divisione tantummodo Melamporum habet, nec pro genere proprio,

equidem non dissentio; sed mihi commodum atque idoneum esse videtur, ut divisiones faciamus in generibus magnis ad species melius perspiciendas et disponendas.

120. TRUNCATELLAE

species detrita et mutilata haud determinanda.

CONCHIFERA.

121. VENUS DECUSSATA L.

(Cuneus, Da Costa.)

Plura specimina allata sunt.

Haec species magnopere variat tam forma et sculptura quam pictura. Specimina nostra Japonica marmorata, reticulata, undulata, flammulata atque pennata sunt; exstant quoque specimina interrupte quadriradiata. Testae nonnullae intus sunt croceo-flavae, nonnullae in cardine violaceae.

